

Resolutio negotii Adami Chaldaei ex consensu communi Cardd. Rocaefocae, Aracoeli, Asculani et Bellarmini, et consultorum, Episcopi Sarnensis, Magistri sacri Palatii, Patris Commissarii et P. Benedicti Justiniani.

Fiat aliud Breve, in quo tangantur ista puncta.

Primo laudentur Patriarcha Elias, et eius Episcopi, quatenus dicunt se agnoscere Romanam Ecclesiam, ut caput et matrem Ecclesiarum, et velle credere quicquid illa credit.

2°. dicatur explicationem fidei, quam tulit Adamus, non esse convenientem, nec recedere ab erroribus Nestorii et aliorum.

3°. Adamum agnovisse suos errores, et in Sancto Offitio abiurasse Nestorium et eius haereses.

4°. Si velint convenire in Ecclesia Catholica, oportere eos abiurare Nestorium, credere corde et ore confiteri B. Virginem esse vere non solum Christiparam, sed etiam Deiparam, in Christo esse duas naturas et unam personam, id est unam hypostasim sive subsistentiam, in Christo esse duas voluntates et duas operationes, et Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, prout in instructione, quae seorsim mittitur, videbunt.

5°. Oportebit hortari illos ad veram unionem et perseverantiam, etc.

Instructio fiat ex verbis ipsis conciliorum, tertii, quarti, quinti, sexti, et Florentini.

Gall.106, I. Missio Constantinop.Orient., fol.17. Autogr. Bellⁱ.

(Pour date: breve Pauli Vi ad Eliam VII, d.d.1 April.1614)